

*40. Instrumentum venditionis
di Guglielmo de Gaudiano in
favore di Canio de Carruba*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*40. Instrumentum venditionis
di Guglielmo de Gaudiano in
favore di Canio de Carruba*

1335-02-01

In nomine domini Iesu Christi. Anno ab incarnatione eius millesimo trecentesimo tricesimo quinto, regnante serenissimo domino domino nostro Roberto Dei gratia Hierusalem et Sicilie rege, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comite, regnorum vero eius anno vicesimo sexto feliciter amen, die primo mensis februarii, tertie inditionis, apud civitatem Potentie.

Nos Nicolaus de Carruba ditte civitatis de Potentie reginali autoritate iudex, Nicolaus de Gaudiano de eadem civitate Potentie, publicus ubilibet per provincias Principatus citra serras Montorii, Basilicate et Terre Bari regia autoritate notarius et subscripti testes ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico declaramus atque fatemur quod Gulielmus de Gaudiano de Potentia in nostra presentia constitutus, bona eius libera et spontanea voluntate alienavit, vendidit, dedit et tradidit Canioni de Carruba de Potentia, presenti, ementi, volenti et recipienti // (c. 291v) pro se et suis heredibus inperpetuum, petiam unam terre sitam in tenimento Potentie, in contrata que dicitur Celavanchium de Rosato, cuius hos dixit esse fines: a duabus partibus silicet, ex parte superiori versus serram et ex parte inferiori usque ad flumen, tenet idem emptor; ab alia parte est flumen Thore; ab alia parte tenent abbas Franciscus de Lacupensuli et Nicolaus filius condam Manfredi de Lacopensuli a quadam fontanella que dicitur de Rosato infra limite mediante et siqui alii sunt confines; item petiam aliam terre cum nucibus seu arboribus nucum et aliis arboribus sistentibus in eadem, sitam in eodem tenimento in contrata Thore, in loco qui dicitur li Vignali et la Brayda, cuius hos

dixit esse fines: ab una parte tenet idem emptor, silicet versus Canalettum, ab alia parte silicet superiori in serram tenet dominus Iacobus de Piscitella, ab alia parte tenet dittus emptor mediante via publica, ab alia parte tenent dittus abbas Franciscus et Nicolaus et est via publica et alii si qui sunt confines, una cum viis in eas intrandi et exeundi de eisdem, cum omnibus aliis iuribus, rationibus et pertinentiis suis. Ipsumque Canionem exinde emptorem in veram, corporalem et vacuam possessionem dittarum terrarum cum arboribus nucum et aliis arboribus existentibus in eadem legitime induxit ad plenum dominium et proprietatis et possessionis et exinde usufructus ditti emptoris et heredum eius inperpetuum ad habendum, // (c. 292r) tenendum, possidendum, alienandum, vendendum, donandum, permutandum, legandum et faciendum exinde omnia que sibi vel eis facere placuerit quibuscumque modis; pro quaquidem alienatione, venditione, datione et traditione predittarum terrarum omnium, cum arboribus nucum et aliis arboribus sistentibus in eadem, prefatus Gullielmus venditor coram nobis confexus et contentus fuit se manualiter recepisse et habuisse a ditto Canione exinde emptore in carlenis argenti, sexaginta per unciam computatis, uncias sex ponderis generalis, totum videlicet pretium venditionis ipsius, renuntians super hiis omnibus prefatus venditor in nostri presentia exceptioni non numerate pecunie, non date, non tradite et non assignate et non recepte, non ponderati et non electi argenti et omni alii iuri et legum auxilio quibus suffragantibus contra preditta omnia vel aliquod predittorum contra prenominatum emptorem vel heredes suos per eundem venditorem vel heredes suos exinde venire posset et presertim legi rem maioris pretii positi,

Codice de rescindenda venditione, iuri etiam dicenti generalem renuntiationem non valere, promittens et obligans se prefatus venditor et heredes suos ac bona eius omnia mobilia et stabilia habita et habenda ditto Canioni emptori presenti et obligationem et promissionem ipsas pro se et suis heredibus recipienti, nullo unquam tempore ditto emptori vel suis heredibus per se vel heredes suos // (c. 292v) molestiam seu causationem de dittis terris et arboribus nucum et aliis arboribus non inferre, sed terras ipsas cum arboribus nucum et aliis arboribus defendere et antestare ab omni homine omnique persona et predittam venditionem et omnia et singula supradicta perpetuo rata et firma habere, tenere et non contra facere vel venire, per se vel heredes suos, aliqua causa vel ingenio, de iure vel de facto, sub pena duppli ditte pecunie quantitatatis, medietate ipsius pene ditto emptori vel eius heredibus persolvenda et reliqua medietate curie regie seu reginali, ditto emptore pro se et suis heredibus et me preditto notario pro parte ditte curie penam ipsam ab eodem venditore solemniter et legitime stipulantibus; et eadem pena soluta vel non, predicta omnia et eorum singula in eorum nihilominus robore perseverent. Pro quibus omnibus et singulis attendendis, adimplendis et inviolabiliter observandis, prefatus venditor coram nobis ditto emptori corporaliter prestitit ad santa Dei evangelia iuramentum; in cuius rei testimonium et ad cautelam dicti emptoris et eius heredum et preces dicti venditoris presens exinde fattum est publicum instrumentum, mei predicti notarii propria manu scriptum et signatum atque nostrum predictorum iudicis et testium subscriptionibus roboratum.

Quod scripsi ego prefatus Nicolaus de Gaudiano de Potentia publicus // (c. 293r) ut supra notarius qui premissis rogatus interfui et meo consueto signo signavi, notando propterea quod prefatus venditor promisit et obligavit se et heredes suos sub pena preditta et iuravit ad santa Dei evangelia prout supra describitur ullo unquam tempore non consentire volenti molestiam seu causationem de bonis predittis eidem emptori vel eius heredibus inferre. Quod scripsi ut supra. † Ego Nicolaus de Carruba reginali autoritate iudex Potentie qui supra † Ego Iulianus de Ramundo interfui † Ego Nicolaus Carrachia magnus interfui Ego Matheus de Conforto interfui Ego Angelus de Gaudiano interfui